


Corni feminae fructificatio expers est involucri. Vocares eam Cornum fl. umbellatis: sed, quæso, cur hoc? Annon unquam vidisti *Corni* speciem cujus flores non in umbellam digesti? ego nunquam vidi. Annon, cum primum gemma explicetur, observes aliquod caducum involucrium tetraphyllum ipsius umbellæ?

Bracteas, in Decandris reperies, quod doleo, variè usurpatas; hoc vidi antea et genui. Nescio quæ festinatio hæc causavit; ubi in corollâ vel flore observas *bracteam*, debet legi *laciniam**. Nam *bractea* mihi est folium florale; sed petali partes sunt in monopetalis *tubus* et *limbus*, in polypetalis *unguis* et *lamina* (malè *bractea*). Hoc malè, et meo dolore, malè reperio descriptum in editione Parisinâ; fortè ego per festinationem sic olim dixi optimo Jussieio. Nam ego non vidi ea quæ adjecta fuère in editione Parisinâ, antequam prodibat.

Populus nigra si dicatur foliis *Rhumboidæis*, hoc intelligat unusquisque. Ego nolui adhibere istud *Rhumboidæum*, nisi adsint anguli laterales  quos noto litteris *a*; sed hæc questio non tanti.

* Linné avait d'abord écrit *laminam*. N'aurait-il pas dû corriger aussi plus bas *lamina* et en faire *lacinia*?